

ce diei, cum etiam stellæ primæ magnitudinis quæ sunt in octava sphæra, et excedunt magnitudinem terræ plusquam centies, non emittant radios usque ad nos, neque usque ad tertiam regionem aeris in tanta plenitudine lucis, quod possint facere diem, imo neque lucere sicut luna, sed compatitur illa lux stellarum cum nocte. Ergo non poterat illa nubes emittere lucem tantam quæ faceret diem usque ad octavam, et nonam, et decimam sphæram propter eandem distantiam; sed superiores illæ sphære semper manerent in nocte, et in tenebris.

XIV. Tertio, quia opus distinctionis, sicut et ornatus primo incæpit in corporibus cœlestibus, deinde in elementaribus, sicut prius fecit Deus luminaria in cœlo quarta die, quam aves in aere, et pisces in mari. Inconveniens ergo est quod distinctio lucis, et tenebrarum prius fieret in elementis, quam in cœlo, cum lux sit qualitas cœlestis. Quarto, quia illa lux facta est prima die, per quam connaturaliter fit dies et nox. Nulla autem lux elementi facit diem et noctem connaturaliter, sed solum lux cœlestis, ut modo experimur, ergo neque tunc. Denique, urget illa ratio, quid factum sit de illa nube, et illa luce, nam vel totaliter desiit, et sic faceret Deus aliquid a principio ad destruendum, non ad permanendum in se, vel in simili individuo: vel mansit conjuncta soli, vel totaliter illi subjecta, ita ut non possit ab ejus luce discerni: et tunc est superflua, cum non aliam lucem emittat quam ipse sol, nec magis sol luceat quam sine ipsa, nihil autem superfluum in operibus Dei. Vel tandem conversa est illa nubes in substantiam solis: et sic sol esset factus ex elementis, non ex substantia cœlesti naturaliter incorruptibili. Et deinde non posset tam

parvum corpus sicut illa nubes præbere sufficientem materiam tam magno corpori sicut est sol qui magnitudine sua excedit terram plusquam centum sexaginta vicibus.

XV. Quare a sufficiente enumeratione, et ad evitanda tot inconvenientia, dicendum est, illam lucem factam esse in aliquo corpore cœlesti, neque in alio quam in sole, qui est connaturale subjectum lucis sive sit propria ejus passio, sive accidens inseparabile: et ipse connaturaliter facit diem per suam lucem, et per suam absentiam fit nox. Illa autem prima lux distinxit diem, et noctem, ergo convenienter erat lux solaris, quæ connaturaliter diem facit et noctem. Verum est quod etiam illa lux solis primo die facta communicabatur lunæ, et stellis, nec enim ad id erat impedimentum aliquod: sed tamen usque ad quartam diem non acceperunt virtutem lucendi cum illa determinatione, et modificatione quæ requiritur ad faciendum varietatem, et distinctionem temporum secundum diversum temperamentum caloris, et frigoris, etc. ut infra dicetur. Si autem in alio corpore cœlesti facta esset illa lux cum modo non detur, quia non videmus lucem facientem diem, nisi in sole, sequeretur illud inconveniens sæpe repetitum, quod Deus in prima formatione mundi faceret aliquid quod post statim deberet destruere, et inciperet naturas rerum subrogando, et substituendo, non id quod proprium et naturale est formando. Et ita, hanc sententiam quod prima illa lux fuerit facta in sole, tenent plures doctores, cum D. Thoma hic articulo I ad II, et infra q. LXX, art. I, quam sumpsit ex Dionysio IV, capite de divinis nominibus dicere: « Quod ipse sol est ea lux (etsi tunc erat informis) quæ primam distinxit, et definivit die-

rum nostrorum trinitatem. » Et omnes doctores qui cum magistro in II, distinct. XIV dicunt solem, et stellas in quarta die solum accepisse motus proprios, et accidentalem mutationem, videntur supponere, quod primo sol acceperit lucem.

DIFFICULTATES IN CONTRARIUM  
EXPEDIUNTUR.

XVI. Est prima difficultas ex ipsis Scripturæ, quia quarta die dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem, ac noctem, etc. fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præset diei, et luminare minus, ut præset nocti, et stellas.* Quod ita interpretatum est ab Esdra, quarti Esdræ sexto: *Quarta autem die imperasti fieri solis splendorem, lunæ lumen, stellarum dispositionem, ergo sol non fuit luminare faciens diem, neque habuit lumen, aut splendorem distinguendo diem, et noctem usque ad diem quartam.* Prima autem ista lux facta est prima die, ut constat ex Scriptura, ergo non potuit esse lux solis.

XVII. Est secunda difficultas, si dicatur quod quarto die factus est sol, non in se substantialiter, sed quoad aliquas virtutes speciales competentes ipsi soli, ut docet D. Thomas infra quæstione LXX, art. I ad primum. Nam istæ virtutes sunt qualitates aliquæ ipsi soli impressæ, eique convenientes. Quæcumque autem virtus solis per modum qualitatis in eo existens, est propria passio solis, quia ex sua natura petit habere virtutem influxivam in hæc inferiora, sicut ignis petit calorem, et aqua frigus. Ergo si istæ virtutes attributæ sunt soli quarto die, fuit sol quatuor diebus sine propriis passionibus, quod est omnino contra naturam illius, et incidimus in in-

conveniens a nobis supra positum, quod Deus inciperet creare naturas rerum contra earum exigentiam, et statum connaturalem.

XVIII. Tertio, urgetur hoc amplius, quia etiam in nostra sententia non possumus evadere hoc inconveniens, quod sol creatus fuerit sine propria passione quod est monstruosum, et præternaturale. Sequela probatur, quia vel corpus, et substantia solis producta est quando Deus dixit fiat lux, vel antea erat producta in ipsa creatione cœli, sed nondum acceperat lucem, nisi quando Deus dixit fiat lux, vel denique in ipso primo instanti creationis creatus est sol cum sua luce, sed non diffundebat illam quousque Deus dixit fiat lux. Si dicatur primum, sequitur quod sol non est factus per creationem sicut reliqui cœli, et partes eorum, quia totum opus creationis terminatum est in primo instanti quando Deus creavit cœlum et terram, ut supra diximus. Formatio autem lucis pertinuit ad opus distinctionis, ideoque tunc non potuit creari substantia solis, quia hæc cum sit corpus cœleste, non fit nisi per creationem. Si dicatur secundum; ergo productus est sol sine luce, quæ est propria passio illius, sicut calor est proprietas ignis, et sic inciditur in inconveniens allatum de productione rei sine sua propria passione. Si dicatur tertium, sequitur quod etiam contra naturam lucis fuerit impedita illa illuminatio, quia tam naturale est luci se diffundere, quam propriæ passioni emanare a subjecto, ergo non minus monstruose, et præternaturaliter fieret lux sine diffusionem, quam sol sine propria passione. Quod si dicatur, solem in primo instanti quo creatus est, illuminasse aliquas partes mundi, etsi non omnes, contra est, quia tunc non salvatur, quod tenebræ fuerint antequam Deus di-

ceret fiat lux, quia hoc ipso quod in primo instanti creatus est sol cum luce, in eodem instanti debebat illuminare, quia illuminatio fit in instanti; nisi violenter detineretur, ne tunc illuminaret. Quod vero non illuminaret omnes partes mundi, non est mirum, quia neque etiam modo sol illuminat omnes partes mundi, cum non possit totam terram simul illuminare.

XIX. Ad primam difficultatem respondetur, aliquos ita tenere, quod luminaria fuerunt facta quoad substantiam quarta die, inter quos est Molina tractatu de opere sex dierum, disputatione xv. Quod est expresse contra D. Thomam hic quaestione LXX, art. 1 ad primum, et q. LXXIV, art. 1 ad 1, et contra communio-rem sententiam, ut bene notat Suarez libro II de opere sex dierum, cap. VIII, num. iv. Et fundamentum Molinae sumitur ex secunda difficultate jam posita. Ratio autem sententiae D. Thomae sumitur ex ipsa natura luminarium, quia sunt corpora caelestia, quae natura sua sunt incorruptibilia, et ingenerabilia, ergo solum possunt fieri per creationem: si autem contra eorum naturam fierent per generationem, esset introducere miraculum, et modum praeter naturalem in prima, eaque naturali rerum institutione. Si autem creata sunt luminaria, a principio creata sunt quando Deus creavit caelum et terram, postmodum enim nullum compositum creavit ex nihilo (ut excipiamus animam rationalem quam nunc etiam creat) sed unum formavit ex alio. Praeterea si luminaria non sunt creata a principio, inquiri, in loco eorum in caelis an fuerit aliquod corpus, vel nullum corpus. Si nullum corpus, ergo fuit caelum creatum cum multis vacuitatibus, quod est magnum inconueniens, cum natura abhorreat vacuum; nec relinqueretur materia ex

qua fierent illa luminaria nisi consumendo magnam partem reliquae materiae caelorum, vel elementorum, quia omnia luminaria sunt valde magna corpora. Si autem in loco luminarium, aliquod corpus fuit creatum, vel illud corpus erat proprium, et connaturale, et debitum illi loco, vel non. Si primum, erat ipsum corpus luminarium, quia hoc est debitum, et proprium illi loco; alias modo, et in toto tempore hujus universi careret ille locus proprio, et debito corpore. Si secundum, ergo creatum est caelum monstruose, et praeternaturaliter, quia produceretur sine proprio, et debito corpore in illis locis. Nisi dicatur, quod pro prima creatione erat debitum illud corpus, et post quartum diem fuit debitum corpus luminarium. Quod cum non constet ex ipsa Scriptura neque naturae rerum id postulent, aut secundum convenientiam ad naturam earum dicatur, omnino est sine fundamento, et tanta facilitate rejicitur, quanta dicitur.

XX. Quare ad locum Scripturae dicimus, in sensu omnino proprio dici, quod facta sunt luminaria quarta die, non quoad substantiam, sed quoad virtutem, et officium in haec inferiora, quatenus tunc acceperunt speciales motus, quibus inter se opponerentur, et congregarentur, aut diverso modo applicarentur, et sic etiam speciali modo earum lux, et virtutes influerent temporum varietatem in calore, in frigore, et aliis similibus. Unde signanter dicit Scriptura, non solum quod fiant luminaria absolute, sed etiam quod dividant diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos: et quod fecit luminare majus ut praesset diei, et luminare minus, ut praesset nocti. Itaque prima die divisa est dies, et nox quantum ad praecisam, et simplicem rationem lucis, et tenebra-

rum. Quarta autem die modificata est, et disposita ista lux secundum varios aspectus, et motus luminarium, ut non solum facerent diversitatem luminis, et tenebrarum, sed etiam varietatem temporum secundum diversum temperamentum caloris et frigoris, humidi et sicci, et aliorum similium, quae nondum erant in prima die, sed in quarta, quia tunc inceperunt isti varii aspectus luminarium, et planetarum, ex quibus varietas illa temporum consurgit. Locus Esdrae nihil urget; tum quia ille liber non est canonicus, nec auctoritatem habet: tum quia intelligi debet sicut locus praecedens, quod Deus quarta die imperavit fieri splendorem solis, et lumen lunae non entitative, et substantialiter, sed secundum modum, et dispositionem influendi varietatem temporum in haec inferiora.

XXI. Ad secundam difficultatem respondetur, virtutes illas speciales solis et lunae, etiamsi sint qualitate distinctae a luce, esse datas quarta die quantum ad exercitium influendi varietatem temporum, quia in hoc exercitio dependent a variis motibus, et aspectibus inter se: quem motum specialem non habuerunt usque ad quartum diem, neque habitura sunt post diem iudicii, sed a prima die solum habuerunt motum ordinarium diurnum. Unde tam motus isti, et aspectus planetarum, quam exercitium illud sic influendi non sunt propriae passionis caeli et solis, sed sunt actiones, seu influxus in actu secundo, quia utique non sunt propriae passionis; sed virtus in actu primo conveniens, potest dici propria passio. Et D. Thomas quaestione LXX, art. 1 ad primum solum dicit: « Fuisse formata luminaria quarta die per collationem determinatae virtutis, » et quaestione LXXIV, art. 1 ad IV. « Quod non fuerunt de novo producta, sed in

aliquo modo formata, quo prius non erant. » Qui modus, et determinatio virtutis sufficienter intelliguntur penes illos diversos motus, et aspectus, et exercitium influendi in haec inferiora.

XXII. Ad tertiam difficultatem p. Suarez libro II de opere sex dierum, cap. II, num. XII, et sequentibus, et capite III, sentit substantiam solis creatam fuisse in initio, et instanti creationis caelorum, et non sine luce, quae est ejus propria passio, et in tota plenitudine lucis, quia sic et non aliter est propria passio ejus; et quia sic requiritur, ut possit facere diem sicut fecit per suam lucem. Sentit secundo, tenebras duratione aliqua praecessisse formationem lucis, quia hoc exigit locutio Scripturae, et proprietates verborum, quia ly tenebrae erant, durationem significat. Et cum dicitur: *Quod spiritus ferebatur*, illa delatio aliquam durationem designat. Et post hoc dixit Deus fiat lux, ergo tenebrae praecesserunt duratione aliqua lucem. Sentit tertio, hanc durationem tenebrarum solum fuisse in uno instanti, ita quod immediate post instans creationis dixit Deus fiat lux: neque enim amplius exigit locutio, et significatio Scripturae in verbis relatis.

XXIII. Caeterum premitur Suarez magna difficultate, et eademmet involvitur quam intendit vitare, quia in illo primo instanti, quo creatus est sol, vel creatus est cum luce, quae est propria passio ejus, vel sine illa. Si sine illa, ergo creatus est sol miraculose, et praeternaturaliter, quia sine propria passione: et saltem jam concedet Suarez in aliqua duratione reali fuisse solem sine propria passione. Quod vero ista duratio sit instans, vel tempus, hora, vel dies, omnino materialiter se habet. Si vero in illo primo instanti creatus est sol cum luce, ergo in illo

primo instanti illuminavit mundum, quia lux in instanti, quo accenditur, illuminat, et sic non assignatur duratio in qua fuerint tenebræ, nec verificatur quod Deus immediate post creationem dixerit fiat lux, sed in ipso instanti creationis. Quæ omnia sunt contra proprietatem verborum Scripturæ, et contra ipsummet Suarez, qui concedit aliqua duratione reali præcessisse tenebras formationem lucis.

XXIV. Vidit hanc difficultatem Suarez, et conatur illi satisfacere aliquibus solutionibus, quæ omnes parum adæquant, et ab ipsomet Suarez vix admittuntur. Prima est, quod lux fuit in sole in primo instanti creationis quantum ad inhærentiam in corpore solis, non tamen quantum ad actionem illuminandi, quia pro primo instanti non debatur concursus, quia non erat instans operandi, sed creandi: tunc autem dedit Deus, concursus ad illuminationem quando dixit fiat lux, id est, illuminet, et diffundatur in alia corpora. Accumulari posset huic solutioni ea quæ sumitur ex Basilio, homilia III in hexameron, quod lux, et tenebræ tunc fiebant, et distinguebantur per emissionem, et contractionem luminis, non per motum. Sed hoc secundum Suarez non admittit, quia ut argumentatur D. Thomas ex Augustino hic articulo IV ad III, est contra naturam luminosi, quod in ejus præsentia retrahatur lumen, cum sit agens naturale. Retrahere autem, vel emittere aliquid est proprium agentis liberi, vel spontanei: et sic illa distinctio lucis, et tenebrarum fiebant per motum circulem lucis. Primam vero solutionem ægre admittit ipse Suarez, ut tolerabilem, et probabilem. Videmus enim quod in instanti in quod sit, vel oritur lux, in eodem operatur illuminationem, ergo in illo primo instanti est debi-

tus illi concursus ad operandum. Ergo similiter, si in primo instanti creatus est sol cum luce, in eodem instanti debebat illuminare, ergo erat debitus illi concursus ad illuminandum, sicut debetur nunc cumque luci in primo instanti quo producit. Si autem negaretur concursus a Deo, esset miraculosum, et præternaturale. Et sic inciditur in inconveniens, quod Deus incipiat primam formationem rerum a miraculis, vel violentiis. Quod si admittitur miraculum in denegatione concursus, cur non admittetur in denegatione propriæ passionis? Tam naturale est enim luci illuminare, et diffundi in primo instanti, quam propriam passionem dimanare a subjecto quando producit.

XXV. Secunda solutio patris Suarez est, tenebras illas fuisse non per carentiam lucis in sole, nec per carentiam concursus divini, sed quia aer erat ita densus, et plenus nebulis, ut sol non posset totum aerem illuminare, et ideo tenebræ manebant super faciem abyssi, id est, superficiem aquæ occupabant, quia usque ad illam superficiem radii solis non attingebant. Scriptura autem non dicit tenebras absolute occupasse totum mundum, sed quod: *Erant super faciem abyssi*. Vel secundo dicit pervenisse radios solis usque ad elementum aquæ, non tamen penetrasse usque ad ipsam terram, ideoque terra dicitur invisibilis, quia non penetrabatur a luce, sed erant tenebræ super faciem abyssi, id est, super superficiem concavam aquæ quæ tangebatur ipsam terram. Quæ solutiones videntur indicari ab Augustino I de Genesi ad litteram, cap. XI et XII, et a Basilio, homilia II in hexameron. Suarez tamen eas non admittit. Non primam, quia cum ipse ponat tenebras solum primo instanti creationis, non apparet, quomodo illæ

nubes, et nebulæ sint factæ in illa parte aeris, quæ eminebat super aquas: nec enim nebulæ illæ poterant elevari a cælo, et sole in unico instanti, eoque primo, nulla antecedente dispositione. Dicere autem quod Deus illas creavit, præsertim in tertia regione aeris, qui est locus non naturalis nubium, sine fundamento est, quia Deus solum creavit cælum, et terram, id est, corpora simplicia: quæ autem illis superadduntur, sicut sunt nubes, non pertinent ad instans, et opus creationis, sed ad ornatum, et distinctionem. Secundam rejicit, quia si multitudo aquarum impediabat in primo instanti ne radii solis penetrarent ad terram, etiam toto tempore illius diei, et sequentis id impedirent, quousque tertia die aquæ congregatæ sunt in unum et discooperata est terra, et sic non esset alternatio noctis, et diei usque ad tertium diem quod est contra Scripturam. Nec dici potest Deum immediate post primum instans confortasse actionem solis, ut penetraret totum elementum aquæ. Contra enim est; tum quia sol creatus est in primo instanti cum tota sua luce quam postea habuit, ergo cum tota sua illuminatione, ergo tam confortata erat illa actio in primo instanti, quam postea: tum etiam quia nec modo sol, quando ferit radiis suis superficiem maris, vel fluviorum, non penetrat usque ad fundum eorum, ut experientia constat, quia homines nantes sub aquis nihil vident de luce, sed indigent oleo, qui effusus ascendit sursum, et viam aperit luci. Nec dici potest id quod aliqui interpretantur, tunc fuisse tenebræ super faciem abyssi, id est, quod abyssus ex se non habebat claritatem, bene tamen a sole. Futile hoc est, quia illæ tenebræ fuerunt expulsæ per lucem. Lux autem nunquam facit quod abyssus, imo nec aer ex se lu-

cem habeat. Unde si ad hoc esset facienda lux, ut abyssus ex se claritatem haberet, nondum modo facta est talis lux: si autem, ut tenebræ expellerentur, ergo ante factam lucem, tenebræ erant.

XXVI. Veritas ergo est quod lux primo die facta talis erat, quod per illius alternationem fiebant dies et nox. Dies autem, et nox non fit per hoc, quod lux solis penetret, vel non penetret aquas, sed per hoc quod pars superior, et exterior mundi illuminetur, et pars non, ergo tenebræ illæ quæ fuerunt ante diem, et noctem, occupabant totum mundum, quia non permittebant aliquam alternationem noctis et lucis. Ita sentit D. Thomas supra quæstione LXV, art. I, ubi inquit: « Quod a toto corpore diaphano, quod dicitur cælum, deerat pulchritudo lucis. » Et infra quæst. LXXIV, art. II, in corpore inquit: « Quod secundum alios sanctos (præter Augustinum) post productionem creaturæ fuit aliquod tempus in quo non erat lux. » In quo aperte contradicit Suarez dicenti, quod immediate post primum instans facta fuit lux.

XXVII. Tertia solutio Suarez in qua aliquantulum magis quiescit est, quod dicuntur tenebræ fuisse super faciem abyssi, non quia erant in toto mundo, sed quia erant solum in isto nostro hemisphærio; in alio autem erat lux etiam in primo instanti, quia sol creatus supponitur in alio hemisphærio (nec enim constat in nostro fuisse,) et sic illuminabat illud; nostrum autem immediate post incæpit illuminare, quia immediate post movebatur ad illud. Et sic idem est dicere Deum, fiat lux, ac dicere moveatur sol, et incipiat illuminare hoc hemisphærium. Itaque illæ tenebræ non fuerunt universales, sed dimidiatæ: et solum dicitur facta lux immediate post creationem, non in se, quia jam erat,